

*superbissimam repugnantiam & tolerantiam multam, DEUS ei^{us} omnem resipiscentie gratiam abstulerit, ad Rom. p. 336. cum Formul.^{ae} Concord. artic. XI. p. 820. seq. Magnus Chemnitius circa filios Eli in LL. Theol. part. 1. p. m. 142. idem asseruit. Ideo deserti à DEO plus offenserunt, & non audierunt vocem Patris, & ita cumulantis peccatis iram DEI cumularunt, donec mensuram impleverunt. In specie^{bus} notetur porisma, quod idem Chemnitius adjunxit: *discamus horrendum esse, &c.* De Saule prostat verbum DEI 1 Sam. XVI. 14. ad quod Commentationes B. D. Gerhardi & Dn. D. Langii, Altorf. Theologi allegavi in prima Apologia contra Stolzum p. 32. similiter de Juda quæ sit Dannhaueri sententia ibid. ex Hodof. p. m. 399. quæ D. Carpzovii, quæ nostri Dn. Præpositi Lütkenii citat Dn. D. Rechenberg in Consens. Witteberg. p. 29. Addidi in Duplica mea contra Stolzum testimonium Brentii: *Cum Judas postea ad resipiscentiam adspirare vellet, non potuit, ad Act. 1. Homil. 4. p. 30.* Quæ fere eadem verba olim in suggestu Lipsiensi fecit sua D. Henricus Salmuth / Superintendens ibidem in seinen sogenannten Passional, so anno 1589 zu Leipzig gedruckt ist / p. 12. 7: *Der böse Feind der Teuffel hat Judam besessen und gefangen genommen / und sein Herz also verkehrt / daß Er nicht hat können sich zu Gott bekehren / und ist worden und hernach blieben ein Feind des Sohns Gottes.* Ergone hi Theologi calvinizarunt? Quid quod inconvertibilitas seu non potentia convertendi apud finaliter induratos in ipsa Scriptura S. sit fundata, uti constat ex Ebr. 6. 4. seqq Matth. 12. 32. &c. Vid. Beytrag. P. 63 64. qui ergo dicunt, *Cainum, Judam desperasse ex Persvasione fixi termini peremptorii gratiæ, fanatici crassissimi sunt: Quia hoc ex enthusiasmo Ittigiano [nam in S. Scriptura id non extat,] confingunt propter suum novum Evangelium Huberianum propagandum.**

R. (2 iterum limitanda est Major:

Quicumq; 1.) omnibus induratis sine discrimine, 2.) ex culpa Dei ejusdemq; decreto absoluto, januam gratiæ ante finem vitæ occlusam eosdemq; simpliciter inconvertibiles esse docent; illi calvinizant:

Atqui nos neq; de omnibus induratis, sed de totaliter & finaliter induratis loquimur, nulla culpa in DEUM delata; Quippe, qui ut iudex agit hac in parte voluntate consequente. Excipit Nichenckius p. 53.